

ne signata, quam exercita; probatur: omnis propositio, in qua predicatur vnus terminus connotatiuus de alio connotatiuo, quorum, de necessitate, est idem connotatum, est vera: sed propositio, in qua predicatur concretum superius de inferiori: est huiusmodi: ergo est vera; maior patet: quia illa propositio dicitur falsa; cuius predicatum non potest affirmari necessario de subiecto: ergo illa est vera, cuius predicatum affirmatur necessario de subiecto: sed quando affirmatur vnus terminus connotatiuus superior de suo connotatiuo inferiori, necessario predicatum affirmatur de subiecto: quia connotatum inferioris est etiam connotatum superioris: v. g. subiectum albedinis est subiectum coloris: & ideo hæc est vera: album est coloratum: ergo in secundis intentionibus, hæc est vera, species est vniuersale: nam de necessitate, res, quæ est species, est etiam vniuersalis. Similiter hæc sunt veræ: species est species: species est intentionale: species predicatur de specie: genus predicatur de specie, &c. Quia subiectum vnus est etiam subiectum alterius, scilicet, prima intentio, in qua fundatur.

2. *Conclus.*

Dicendum secundo, secunda intentio in concreto disparata potest predicari de alia secunda intentione disparata predicatione signata tantummodo primæ intentiones, in quibus fundantur, sint adinuicem composibiles, & verificabiles; secus, si fuerint incomposibiles. Hæc conclusio duas continet partes.

Nota.

Pro quibus notandum: quod duæ secundæ intentiones disparatæ quandoque fundantur super duas primas intentiones composibiles: vt istæ: genus, & species: genus enim fundatur super animal cognitum, & species super hominem cognitum; quarum vna de alia verificatur dicendo: homo est animal: quandoque vero fundatur super duas primas incomposibiles: vt oratio, & genus: nam oratio fundatur super istam; homo currit: & genus super animal cognitum: quæ sunt incomposibiles dicendo: homo currit est animal: hoc posito prima pars conclusionis probatur.

Nam hæc est vera: genus predicatur de specie: quia predicatio signata tantum ostendit, connotatum speciei esse generis connotatum, cuius veritas in primis intentionibus exercetur: vt genus predicatur de specie: ergo homo est animal: albedo est color. Species predicatur de indiuiduis: ergo Franciscus est homo: Brunellus est equus. Diffinitum predicatur de diffinitione: ergo homo est animal rationale. Vniuersale predicatur de multis: ergo homo, & Leo sunt animal. Non vero valet, si inferas: ergo homo est genus: quia cum Logicus consideret secundas intentiones concretivæ, & applicatas primis, non diffinit ipsas, vt supponit, & verificatur de seipsis; sed vt supponunt pro denominatis, & in illis verificantur. Bene verum est tamen; quod predicatio signata potest optime inferri, dicendo: genus predicatur de specie: ergo animal predicatur de homine.

Secunda pars est manifesta: nam hæc sunt falsa, tam predicatione exercita, quam signata: oratio predicatur de proprio: ergo risibile

est homo currit: proprium predicatur de oratione: ergo homo currit est risibile: & sic de alijs.

3. *Cöclus.*

Dicendum tertio. Omnis secunda intentio disparata in concreto, fundata super aliam secundam disparatam, & concernens ipsam, potest predicari de ipsa, quam concernit, tam signata, quam exercita: patet: nam intellectus cognoscens vniuersale, & genus, per modum primarum intentionum, potest illa adinuicem comparare: & tunc in vniuersali relinquitur, secunda intentio generis, & in genere relinquitur secunda intentio speciei: quare hæc erunt veræ: Vniuersale predicatur de genere: ergo genus est species: genus predicatur de vniuersali: ergo vniuersale est genus: dummodo subiectum sumatur vt quid, & predicatum vt modus.

4. *Conclus.*

Dicendum quarto, omnis secunda intentio superior in abstracto, abstractione à fundamentis, predicatur de sua inferiori, eodem modo abstracta, tam predicatione exercita, quam signata: probatur: omne superius potest predicari de suo inferiori: cum sit de eius essentia: sed aliqua secunda intentio, vt sic abstracta, est superior ad aliam, eodem modo abstractam: ergo predicabitur de illa: vnde sicut istæ sunt veræ: color predicatur de albedine: ergo albedo est color: sic similiter hæc sunt veræ: proprium est vniuersale: ergo vniuersale predicatur de proprio: & e contra. Hoc genus est genus: ergo genus predicatur de hoc genere. Vniuersale est secunda intentio: ergo secunda intentio predicatur de vniuersali: & etiam e contra: & ratio est: quia terminatum pro per se significatis, & simpliciter, supponunt; non vero personaliter, & pro denominatis.

5. *Conclus.*

Dicendum quinto, si vna secunda intentio sumatur in abstracto, & altera in concreto: vel e contra: predicatio erit falsa: nam sicut hæc est falsa: album est color: vel color est album: ita istæ sunt falsæ: species est vniuersale: proprium est vniuersale: ratio est: quia talium subiecta in concreto connotant primam intentionem, & pro ipsa supponunt; predicatum vero tantum simpliciter, & pro per se, supponit: & ideo non potest de prima intentione verificari.

6. *Cöclus.*

Dicendum sexto, nulla secunda intentio in abstracto potest predicari de alia disparata abstracta, & sumpta vt quid: patet: nam hæc sunt falsæ: genus est species: proprium est differentia: si in illis tam subiectum, quam predicatum sumantur, vt quid.

7. *Cöclusio.*

Dicendum vltimo: nulla secunda intentio in abstracto vltima abstractione, nec exercita, nec signata, potest predicari de alia secunda sumpta siue in concreto: siue in abstracto: patet propter distinctionem formalem rationis, propositionem falsificantem: quare sicut hæc sunt formaliter falsæ: humanitas est animalitas: homo est humanitas & humanitas est homo: sic hæc sunt falsæ: genericitas est vniuersalitas: genericitas est vniuersale: genus est vniuersalitas: itaque omnis predicatio concreti de abstracto, vel abstracti de concreto est falsa, vbicumque detur: De predicationibus primarum intentionum dicemus infra quæst. 4. de genere cum Doctore ibidem.

QVAE

QVÆST. VI.

An vniuersalia sint tantum quinque?



VAERITVR de numero vniuersalium: vtum sint tantum quinque? quod non videtur: quia predicari est vniuersali proprium: quot

Cap. 3.

igitur sunt predicata, tot vniuersalia: sed primo Topicorum non ponuntur nisi quatuor predicata: igitur, &c.

Per idem ostenditur: quod sint tantum tria: quia ibi non ponuntur species, & differentia: igitur ista non sunt vniuersalia.

Cap. 12.

Et quod sint sex; probatur: quia ibi ponitur diffinitio: igitur præter hæc quinque, illud est sextum vniuersale.

Item: quot modis dicitur vnū oppositorum, tot modis & reliquum per Arist. 1. Topicorum: vniuersale, & singulare sunt opposita: & singularia sunt infinita: ergo, & vniuersalia.

Tex. com. 10.

Item: indiuiduū est vniuersale: quia predicatur de pluribus: & nullum istorum quinque est, vt patet inductiue igitur, &c.

Tex. com. vltim.

Item: ens est vniuersale: & non est genus per Arist. 3. Metaph. predicatur enim per se de differentia: nec est species: quia tunc habebit genus supra se: nec est aliquod aliorum trium vniuersalium: quia illa predicatur in quale: ens vero predicatur in quid de omnibus, vt patet per Arist. 3. Metaph.

Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum: quod sunt tantum quinque vniuersalia: sed illud diuersimode ponitur: vno quidem modo accipitur eorum sufficientia sic: vniuersale; vel significat substantiam, vel accidens: si substantiam: vel totum, vel partem: si partem: vel materiale: & sic est genus: vel formale, & sic est differentia: vel totam substantiam; & sic est species: species enim dicitur totum esse indiuiduorum. Si accidens: vel conuertibile: & sic est proprium; vel

non conuertibile: & sic est quintum vniuersale, scilicet accidens. Cum ergo non sit possibile significari aliquid dicibile de pluribus; nisi aliquo istorum modorum, non erunt nisi hæc quinque vniuersalia.

Contra hunc modum: vniuersalia, cum sint intentiones secundæ, accidunt rebus primæ intentionis: sed nihil per se distinguitur secundum illud, cui accidit: ergo, nec intentiones distinguuntur per se, penes res: sed Logicus per se considerat intentiones: ergo hæc diuisio non est Logicalis.

Item: omnia vniuersalia inveniuntur in genere accidentis: ergo male distinguuntur per significare substantiam, vel accidens.

Ideo datur aliter eorum sufficientia penes ordinari: dicitur enim; quod quia hic liber immediate ordinatur ad librum Predicamentorum, vbi determinatur de ordinabili in genere, ideoque hic loquitur de vniuersalibus, secundum quod in genere sunt ordinabilia: & datur sic eorum sufficientia. Ordo enim potest esse eorum, quæ sunt in eodem genere inter se, vel eorum, quæ sunt in vno genere ad illa, quæ sunt in alio genere: in eodem genere potest esse ordo directus secundum sub, & supra: & sic sunt duo vniuersalia, scilicet, genus, & species: vel indirectus; & sic est differentia, quæ est indirecte supra speciem, & sub genere. Accidentiam autem ad substantiam est ordo conuertibilium, vel non conuertibilium, & sic sunt alia duo vniuersalia.

Contra hunc modum arguitur: quia aliqua, secundum quod sunt ordinabilia in genere secundum, sub, & supra, sunt predicabilia, & subiectibilia: ergo hic determinatur de istis, in quantum sunt predicabilia, & subiectibilia.

Item: vnumquodque diffinitur hic per predicari, vel ei æquivalens.

Item: si per hoc bene datur diuersitas inter hunc librum, & librum Topicorum: tunc differentia magis ibi esset enumeranda, quam hic: cum magis habeat rationem predicabilis, quam ordinabilis.

Item: indiuiduum est per se ordinabile in genere: ergo licet non predicetur proprie: tamen esset ponendum hic sextum vniuersale: quia per sic dicitur

res,

res, hic non agitur de istis, in quantum sunt predicabilia, sed in quantum ordinabilia.

Item, sicut accidentia ordinem habent ad subiectum eorum, quod est substantia, vel aliquod accidens; ita subiectum ad accidens: ergo ex parte subiecti accipi possunt duo alia vniuersalia penes eius ordinationem duplicem ad accidens, sicut est a parte accidentis.

Propter istas tres rationes omittendus est iste modus, & dicendum aliter: quod eorum sufficientia accipitur penes predicari sic: predicari enim diuiditur in predicari in quid, & in quale, tanquam in per se differentias: quia isti sunt primi modi predicandi: predicari, in quid, est predicare essentiam subiecti per modum essentiae; id est per modum substantis, & non denominantis: & hoc contingit dupliciter: vel quod predicet totam essentiam subiecti; & sic est species: si enim aliquid esset in essentia indiuidui praeter essentiam speciei, duo indiuidua essentialiter differrent; & per differentias acceptas ab illo, quod plus est, in hoc & in illo posset species formaliter diuidi: & indiuiduum diffiniri: quod est inconueniens. Si vero partem essentiae; sic est genus: si enim totam ipsum genus speciei essentiam diceret; sufficeret ad diffiniendum speciem; & differentia superflueret.

Predicari in quale est predicari per modum denominantis; quod contingit dupliciter: vel quod predicet subiecti essentiam per modum denominantis; & tunc predicatur in quale substantiale, siue essentialiter, & sic est differentia. Est enim differentia substantiae qualitas, per Arist. 5. Metaph. vel quod predicet accidens per modum denominantis: & tunc predicatur in quale accidentale: vel ergo predicet accidens conuertibile egressum a principiis subiecti: & sic est proprium: vel accidens commune: & sic est vltimum vniuersale: nam de tali accidente se exponit Porphyrius intelligere: ubi ponit diuisionem ad declarandum diffinitionem generis. Cum igitur predicari de pluribus non contingat, nisi aliquo istorum quinque modorum, qui per se diuiduntur predicari de pluribus; quod est ratio ipsius vniuersalis: se-

quitur quod vniuersale diuiditur in haec quinque tantum. Haec diuisio videtur esse conueniens: quia diuidit rationem generis per differentias per se: & ex hoc non tantum patet sufficientia vniuersalium: sed etiam ordo, & ratio ordinis, quem tenet Porphyrius, in determinando de istis.

Contra hunc modum obijcitur: quia si hic determinatur de istis quinque, secundum quod sunt predicabilia: & ita loquitur Arist. 1. Topicorum de eis: tunc videtur, quod non possit solui controuersia hic, & ibi: sed hoc patebit respondendo ad argumenta.

Ad primum argumentum dico: quod Arist. in primo Topic. diuificat predicata penes hoc, quod est predicare essentiam, vel non: conuertibiliter, vel non: & sic non contingit esse, nisi illa quatuor, quae ponit ibi: hic autem licet consideretur de vniuersalibus penes predicari, non tamen quo ad illa, quae ibi: quia istorum quinque tantum vnum predicatur conuertibiliter; tria predicant essentiam, non conuertibiliter, sed penes predicari in quid, vel in quale: ut prius dictum est. Non ponit ergo ibi differentiam: quia illa: ut ibi dicitur: reducitur ad genus: predicat enim essentiam subiecti non conuertibiliter. Vnde quarto Topic. docetur construere, & interim: e genus: docetur etiam hoc, de differentia: aliqua est etiam differentia vltima, & specifica, quae conuertitur cum specie, & predicatur de ea conuersim, quae reducenda est ad diffinitionem: & forte propter talem diuersitatem differentiarum non posuit differentiam cum aliquo vno predicato: diffinitionem hic non ponit: quia non habet aliquem vnum modum predicandi, in quid, vel in quale. Speciem ibi non ponit: vel quia reducitur ad diffinitionem: cum diffinitio sit proprium speciei: vel potius ad genus: quia species, scilicet, predicatur, de quo predicatur, essentialiter, non conuertibiliter. Et ideo ex 4. Topicorum habentur considerationes interimendi, vel construendi Problema de specie; sicut de genere. Vel species non est predicatum propositionis Dialecticae: quia illa non est communiter singularis: excludit enim Aristoteles primo Topic. ab intentione Dialectica illa, quae sunt manifesta sensui: ibi: non oportet autem omne Pro-

Problemata, nec omnem positionem considerare: sed quando dubitabit aliquis ratione indigentium, non poena, vel sensu: minimum autem commune est species: & ideo magis subijcitur in propositione Dialectica, quam predicetur.

Ad secundum dico: quod iste est sensus illius propositionis: quot sunt significata vnius oppositi, tot & alterius: si secundum omnem significationem alterum sibi opponatur: non quot supposita: ideo non est ad propositam.

Ad tertium dico: quod indiuiduum est species respectu intentionis: & quo modo intentio disparata predicatur de altera, dictum est superius, quaest. 5.

Ad quartum dicendum: quod ens est aequiuocum: ideo non predicatur: id est, prius alio dicitur: quia quod est prius alio est vniuocum: ideo nec est vniuersale.

Contra: accipiat ens in genere substantiae, ibi est vniuocum: ergo vniuersale: & nullum istorum quinque; ut argutum est prius.

Dicitur: quod adhuc in genere substantiae est aequiuocum ad tria: impossibile est enim aliquod vniuocum predicari per se primo modo de speciebus, & differentiis, vel de differentia vna, & alia opposita: nisi differentia superior de differentiis inferioribus oppositis predicatur vniuocum: & tunc respectu eius, differentia specierum essent speciem in recta linea: & per consequens differentia, respectu specierum, quarum sunt differentiae, essent genera: quod est impossibile: ideo ens in substantia est aequiuocum, ut dicitur de speciebus in genere, & differentiis ex vna parte; & de differentiis oppositis: & ideo concedit Aui-cena: quod tria sunt prima entia in quolibet genere, non tamen tot predicamentum: quia duae coordinationes differentiarum in omni genere reducuntur ad coordinationem specierum.

### Summa textus.

**P**ERACTIS iam questionibus ad entitatem, intelligibilitatem, vnitatem, atque modum essendi, & predicandi, vniuersalis in communi attingentibus: ut eius tractationi, sic in communi considerati, finem imponat, hanc questionem de sui diuisione in partes subiectiuas pertractat: & post-

quam Doctor probare intendit non esse quinque, sed tantum quatuor ex primo Topicorum cap. 3. vel non esse nisi tria ex eodem cap. vel esse plusquam quinque; ut clare patet in littera; cum Porphyrio duplicem statuit conclusionem, alteram principaliter, & alteram, minus principaliter intentam; dicens.

Primo, vniuersalia sunt tantum quinque: & quia eorum numerus indagari potest: vel penes significare substantiam, aut accidens: vel penes ordinari inter res eiusdem, aut diuersi generis: vel penes predicari de pluribus: duobus primis modis relictis, & impugnat: tertium amplectitur, ex eo que sufficientiam huius Logicales diuisionis colligit: ut satis clare patet ibi: propter istas tres rationes, &c.

Secundo, dicit: ordo horum quinque, ut scilicet prius determinetur de genere, quam de specie; & de specie priusquam de differentia: & sic de alijs: est recte a Porphyrio traditus. Habetur ibi: & ex hoc etiam non tantum patet, &c. tandem soluit argumenta, in quorum solutionibus multa tangit, de quibus nos in proprijs locis agemus: super hanc enim questionem circa duas praedictas conclusiones duos Articulos mouebimus: & alios nonnullos circa subiectibilia in communi, tanquam correlatiua vniuersalis.

### ARTIC. I.

An diuisio vniuersalis in quinque; Praedicabilia sit sufficiens?

**Q**UIA argumenta, quae pro parte negatiua fieri possunt, optime in textu aduocantur: ideo sine illis notandum: quod haec propositio: tantum sunt quinque vniuersalia: dupliciter, pro nunc, exponi potest: aut gratia alietatis: aut gratia pluralitatis: tunc, ly, tantum, excludit gratia pluralitatis, quando, excludit ab aliquo numero alium quemcumque maiorem ipso: ut tantum octo libri sunt in cella mea: excluditur maior numerus librorum, quam sit octonarius: non tamen excluditur minor: sed quando, ly, tantum, excludit gratia alietatis, excludit praedictum a quocumque alio a re importata per subiectum: quod est dicere: excludit praedictum a quocumque opposito subiecti: unde fit: quod propositiones exponentes differunt: nam exponens gratia pluralitatis fit per ly, non plura quam: gratia autem alietatis, per ly, nihil aliud: in proposito autem sumitur gratia pluralitatis: ita ut fit sensus: tantum sunt quinque vniuersalia; & non plura quam quinque.

Dicendum primo, diuisio vniuersalis in quinque praedicabilia est sufficiens: ita ut nec plura, nec pauciora, esse possint: haec est communis: & clare probatur a Doctore in textu.

Dicendum secundo, haec diuisio est generalis in species: haec est etiam doctoris, contra

1. Conclusio

2. Conclusio

Notanda

1. Conclusio

2. Conclusio

Omnes illos, qui tenent vniuersale non esse ge- nus vniuersu ad haec quinque: vi de supra, quast. 4. art. 1.

Ad primu.

Ad argumenta in oppositum responderetur: ad primum distinguo antecedens: nam praedicabile, sicut & praedicabile, seu praedicatum; sumitur dupliciter: large, & improprie, seu illimitate; & transcendenter; & vt sic comprehendit praedicatum, quod pertinet ad Problemata scibilia: praedicatum enim, vt sic, respicit essentiam, de qua potest dici: vel praedicatio ipsam; vt genus; vel definitio: vel non praedicatio ipsam, vt proprium, & accidens: vel secundo potest dici de ipsa conuertibilitate; vt definitio, seu proprium: vel non conuertibilitate; vt accidens, & genus. Si autem sumatur praedicari, stricte; tunc tantum competit vniuersalibus, quae solum de pluribus limitate praedicantur. Itaque solutio stat in hoc: omne vniuersale est praedicatum; sed non e contra: & vltra: praedicatum sumitur penes praedicare essentiam: vel non praedicare essentiam; conuertibilitate; vel non conuertibilitate: & ideo sunt tantum quatuor: definitio, genus, proprium, & accidens: nam species non debet inter haec praedicata numerari: tum quia reducitur ad definitionem; quia sola species diffinitur: tum etiam quia, cu de singularibus praedicatur, de quibus non datur scientia, non potest ad Problemata scibilia deferri: & si in feruit illi; erit tantum vt subiectum: & eadem ratione differentia inter praedicata non enumeratur: Vniuersale autem sumitur penes praedicari de pluribus: & cum tantum sint quinque modi praedicandi; ideo tantum sunt quinque vniuersalia: quare si praedicari sumatur stricte: antecedens est verum: si vero large: est falsum.

Ad secundum.

Ad secundum: quod Maxima illa est vera, quoad correspondentiam significatorum, & non suppositorum, vnde si vnum oppositorum significat vnum; aut duo; tot significata alterum significabit: vt sanum, & agrum; & hoc, si secundum omnem significationem opponantur: sed si non: tamen si vnum oppositum praedicatur de multis suppositis; non est necesse, vt alterum de tot praedicetur: Ad alia duo argumenta infra in suis locis patebit.

ARTIC. II.

An Porphyrius in his enumerandis vniuersalibus debuit ordinem seruauerit?

QVI A in his enumerandis vniuersalibus, eorumque in explicatione tradenda, prius Porphyrius agit de genere, quae de specie; & prius de specie, quae de differentia: & prius de hac, quae de proprio: tandem de hoc, etiam prius, quae de accidente; merito in praesenti, quaeritur: an talis ordo sit recte traditus: & quia praecipua difficultas de prioritate trium priorum insurgere potest: ideo de ordine eorum inter se praecipue discutimus; & quod non a genere sit incipienda

probatur primo, ordo doctrinae correspondet ordini naturae, sed secundum nunc ordinem, prior est species, quam genus: igitur a specie est incipiendum. Maior patet: quia Ars imitatur naturam: minor probatur illud est prius, ordine naturae, quod prius intenditur ab ipsa; huiusmodi est species: quia natura non intendit generare animalia; sed vnam speciem animalis: ergo cum species sit prior; ab illa, & non a genere, est incipiendum.

1. Arg.

Secundo, a perfectioribus est nobis incipiendum: sed species est genere perfectior: quia totum semper est partibus perfectius; igitur, &c.

Secundum.

Tertio, secundum Aristotel. 1. Physic. a notioribus est incipiendum. sed accidens est notius substantia, cui substantia correspondet genus: ergo non a genere, sed ab accidente incipi debet: minor ex primo de Anima text. 11. apparet; ergo, &c.

Tertium.

Quarto, quod nec species debet praecedere differentiam, probatur quarto, cognitio totius pendet ex cognitione partium: quia totum, & pars, sunt correlatiua, quorum quodlibet ad cognitionem alterius conducitur: sed differentia est pars essentialis speciei; sicut & genus: ergo de illa, prius, quam de specie, erat agendum: & hoc promissit Porphyrius anteponebat differentiam speciei; vt partem totius; ergo, &c.

Quartum.

Pro intelligentia, notandum primo, quod Logicum artificium in his exquirendis vniuersalibus correspondet exercitio, & ordini naturae, in alicuius contri generatione: nam Ars plerumque naturam imitatur: vnde cum generatio secundum Doct. in primo, distinct. 7. q. 2. litera E, duo includat; productionem, scilicet, & mutationem; illam, qua respicit compositum; & istam, qua transmutat partem compositi; videlicet materiam primam, quae ipsi agenti praesupponitur; & qua transmutata de priuatione formae ad ipsam formam; dat agens esse totale termino producto, a quo dimanant statim passiones; ac tandem cui accidentia communia inhaerent. Itaque in hoc progressu naturali, prius intelligitur materia; postea forma educta; postea compositum, ex illis resultans; postea passiones ab eo dimanantes; ac tandem accidentia communia: Et ita suo modo in proposito est Philosophandum: prius enim consideramus genus, quod correspondet materiam; secundo differentiam, quae correspondet formae; tertio species, quae correspondet composito; quarto, proprium; ac tandem accidens commune.

1. Not.

Secundo notandum: quod duplex est ordo in scientijs procedendi: alius naturae, & alter doctrinae: ordo naturae est, quando struatur idem ordo, quem res ipsae inter se seruant secundum propriam naturam: siue talis ordo attendatur secundum prius, & posterius, quoad entitates; siue quoad aliquam naturalem modum, quem participant, etiam si vna entitas sit alia posterior: Ordo doctrinae est, quem seruat scientia in suo progressu, non penes res ipsas, sed penes nostram cognitionem, secundum quam illa res est prior, quae nobis est notior, & facilius; vt intelligatur: nam licet Ars imitetur naturam;

2. Not.

Conclusio.

naturam; non tamen potest in omnibus illam imitari, ob nostri intellectus imbecillitatem. Dicendum: tam ordine naturae, quam doctrinae, quinque vniuersalia sunt, recto, ac debito ordine, numerata: Haec est communis cum Doctore, & Porphyrio, in praesenti: & de ordine doctrinae, quoad genus, & speciem, patet; nam sunt correlatiua, & simul natura, & cognitio: ergo post tractationem generis, statim de specie, prius quam de differentia, erat agendum.

Confirmatur: nam Ars imitatur naturam: sed genus correspondet materiae, quae naturaliter est prior in composito naturali: ergo prius etiam ordine doctrinae est nobis de illo agendum: sed species est illius correlatiuum: ergo, ordine doctrinae, prius de specie, quam de differentia, est agendum: nam de Proprio, & Accidente, non est dubium: quia naturaliter sunt specie posteriora.

Dices: genus etiam est correlatiuum differentiae: nam est contrahibile per ipsam: ergo prius de differentia est agendum.

Respondeo: quod hic, non agitur de genere, vt est per differentiam contrahibile: sed vt est de pluribus differentibus specie praedicabile: & hoc modo non habet pro termino Differentiam; sed Speciem.

Secunda pars de genere, Proprio, & Accidente, constat ex not. primo, de Specie vero respecta Differentia probatur: quae ratio etiam de omnibus probat: modus praedicandi sequitur naturalem modum essendi: sed modus essendi naturalis, quem habet Species in suis inferioribus, est prior quam modus, quae habet Differentia in suis; igitur, & modus praedicandi illius, adhuc ordine naturae, erit prior, quam modus praedicandi illius: minorem proba. Nam modus naturalis essendi in alio, per modum dantis esse simpliciter quidditatiuū prior est, quam modus essendi per modum dantis esse quale: sed Species est in suis inferioribus dando illi esse quidditatiuū simpliciter; Differentia vero est in suis per modum dantis esse quale: ergo modus essendi illius est naturaliter prior modo essendi illius: at per consequens modus praedicandi in quid est, ordine naturae, prior modo praedicandi in quale: at per consequens prior est in tali ordine, Species, quae Differentia: & quia praedicari in quale essentialiter est prius quam praedicari accidentaliter: & hoc secundo modo, prius est praedicari conuertibiliter, quam non conuertibiliter: de primo ad vltimum: prior est Differentia, ordine naturae, quam Proprium: & Proprium, quam Accidentis commune.

Ad primu, & secundu.

Ad argumenta ad primum dico: quod licet species sit prior genere, ordine intentionis, non tamen ordine generationis: nam secundum hunc prius est genus; loquendo de vitro que pro materiali; in quo sensu genus est potentialius, & imperfectius; loquendo tamen de illis pro formalis; & vt correlatiua sunt; genus est specie perfectius, non quoad entitatem, sed quoad specificacionem: quia scilicet habet pro termino plura specie differentia, qui perfectior est terminus, quam plura differentia numero: Et per hoc ad secundum.

Ad tertium dico: quod Accidens est prius notum, cognitione sensitua; quam substantia; non vero cognitione intellectua; quia secundum istam, per quam habetur scientia, est substantia prius nota: & cum illi respondeat generata ab illo prius incipitur.

Ad tertiu.

Ad quartum, quod Differentia; vt est pars constitutiua Speciei; est prior ipsa, quoad entitatem, ordine naturae; & ita intelligitur Porphyrius: non vero est, in tali ordine, prior, quoad modum praedicandi de suis inferioribus; qui sequitur modum naturalem essendi in illis; qui cum sit, in quid complete, est perfectior, & aliquo modo prior, quam modus praedicandi, & essendi Differentiae.

Ad quartu.

ARTIC. III.

An in rebus dentur subijcibilia in actu?

EGIMVS hucusque de vniuersali in communi, tam quoad esse materiale eius, quam quoad esse formale: & quia vniuersale seu praedicabile, & subijcibile, relatiue opponuntur, opere pretium duxi, pro completa vniuersalis intelligentia, nonnulla de subijcibilibus in communi disputare: & primo, an dentur a parte rei formaliter, quae difficultas similis est illi, quam mouet Doctor septimo Metaphy. An detur in rebus vniuersale in actu: pro qua sine argumentis notandum: quod sicut supra quaest. 1. ait Doctor vniuersale tripliciter sumi posse: sic de subijcibili est asseuerandum: est enim subijcibile concretum quoddam intentionale, dicens pro formali formam subijcibilitatis; pro materiali rem, quae a tali forma denominatur: & pro aggregato dicit vtrumque.

1. Conclus.

Dicendum primo in rebus a parte rei datur aptitudo fundamentalis subijci illatis: haec debet esse omnibus realibus communis: & probatur a parte rei datur fundamentum vniuersalitati: vt late quaest. 1. probauimus: ergo & subijcibilitatis: patet consequentia: quia aliter secundae intentiones vniuersales, quae rebus, vt inferioribus, tribuimus, essent fictitiae: quia sicte tales res illis subijciuntur: quod est falsum. Quare dicendum: quod omnis res Metaphysice composita, quatenus de illa rationes superiores, ex quibus constat, possunt praedicari, est fundamentum aptum ad subijcibilitatem; vt illis possit subijci; & intelligibiliter vniri, & comparari: nam ideo decem Praedicamenta non possunt subijci: quia partibus superioribus ipsa componentibus carent.

2. Conclusio.

Dicendum secundo. Subijcibilitas, formaliter sumpta, non datur in re ante intellectus operationem: est etiam communis: & probatur eadem ratione, qua supra, vniuersale Logicum non dari a parte rei, probauimus.

3. Conclus.

Dicendum tertio. Subijcibilitas, seu secunda intentio subijcibilitatis, est relatio rationis secundum esse inferioritatis, quae inferiori respicit suum superius, tanquam id, cui potest perintellectum sub-